



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 14. Navarræ Regis responsum ad hosce Deputatos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

## §. XIV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1585.*Navarræ Regis responsum ad hosce  
Deputatos.*

**N**avarræ Rex cum firmiori, quam unquam, animo statuisset, quod is, quamdiu Guisii Principes rerum summa potirentur, aulam accedere nollet, hinc Delegatis hunc in modum respondit: „pro tam propensa Regis erga me „voluntate, honorificaque benevo- „lencia gratias, quam demissas pos- „sum, ago: ast ægerrime fero, quod „Rex male consultus, non mea potius „fidei opera uti sit dignatus, quam pa- „tientia sua nimia permittere, ut ab „iis, quos pro suis, & Regni hostibus, „uti reipsa sunt, reputat, ad iniquissi- „mum bellum compellatur: quod vero „de mea salute sollicitum se dicat, si- „militer gratias ago, ac ipsum obsecro, „ut pro prudentia sua, & æquitate per- „pendat, an dignum, justumve sit, ut „ab ea Religione, in qua educatus sum, „& nullum errorem cognovi, vel metu, „vel spe temere discedam, mihi que hac „defectione magis expeditum aditum „ad Regnum, si Rex absque prole ma- „scula decederet, aperiam: de cetero „autem mihi prima conscientia, ac sa- „lutis æternæ semper, ac præcipua „cura fuit, eique omnes honores, di- gnita-

Sæcul. XVI  
A. C. 1585.

„gnitates, regnorumque accessiones  
„posthabeo, neque tamen recuso, quin  
„melius instructus Religionem mutem,  
„hinc de re hac omni, prout semper an-  
„tea protestatus sum, liberi Concilii de-  
„creto me submitto: porro quod ad re-  
„stitutionem urbium, quas securitatis  
„gratia detineo, attinet, adeo non  
„illæ in hoc statu rerum repeti pote-  
„runt, ut nunc, si protestantes novas  
„ad securitatem contra tot bellicos tur-  
„bulentorum hominum apparatus pete-  
„rent, æquum postulare viderentur: de-  
„nique haud justum fore arbitror, ut  
„Proteticæ Religionis exercitium  
„ad tempus suspendatur, nec id ad Re-  
„gni pacem pertinere videtur; nam  
„altiores ea radices in Gallia egit, quam  
„ut id, quod Regum, & edictorum præ-  
„cedentium beneficio crevit, edicto per  
„vim a Rege extorto tam subito evelli  
„queat. „

Accepto hoc responso Deputati ex-  
eunte Mense Augusto secesserunt.

§. XV.

*Japonum Legati ad Papam.*

*Thuan. l. 81. Vix hi tumultus in Francia exorieban-*  
*Annal.* tur, cum Romam celebris adhuc  
*Greg. l. 15.* Legatio ex Japonia a Bungi, ac Ari-  
*Ciacon. t. 4.* mæ Regibus, necnon ab Omuræ Prin-  
*pag. 11.* cipe eo fine decreta veniret, ut hi  
Reges